

Hermann Lembke

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Lembke/ I.U.D. ...  
Ad Exequias Quas Virgini ... Elisabethae Marquards/ Parentes moestissimi Hodie  
... paratas cupiunt; Omnes Et Singulos Academiae Cives Officiose Invitat : [P.P.  
Sub Sigillo Rectoratus nostri, Rostochii die 1. Martii, A.D. 1655.]**

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770453139>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

QVO

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HERMANNUS Lembke/

J. U. D. & Cod. Professor.

AD EXEQUIAS

Quas

Virgini pudicissima ac piensissima,

ELISABETHÆ

Marquards/

Parentes moestissimi

Hodiè circa horam primam pomeridianam,

paratus capiunt;

OMNES ET SINGULOS ACADEMIÆ CIVES  
OFFICIOSE INVITAT.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO 1655.

M

LB FP Marquard, Elisabetha 1655

No 60

398





**I** omnibus hominibus mors est ob-  
eunda; Si naturâ comparatum est, ut omnes  
prorsus cogantur semel vitam hanc caducam  
relinquere; Si lex moriendi in univèrsum ob-  
tinuit, nec abrogari ullò modò potest; Si (ut  
cum Senecâ II. nat. quæst. c. 59. loquamur)  
*in omnes constitutum est capitale supplicium, &  
quidem constitutione justissimâ;* nemo sanè, cui  
fanum sinciput, mirabitur, quod pudicissima hæc piissimæq; Virgo  
**ELISABETHA Marquards** / mortalitatem suam deposuerit,  
quod vitam cum morte commutaverit; quod ad mortem pridem  
destinata, mortis damnationem sustinere coacta fuerit. Et sanè quis-  
quis ipsam miratur mortuam esse, miratur hominem fuisse, & qua-  
si contra ipsissimam experientiam, non credit, piissimè defunctam  
eâdem cum omnibus piis conditione devinctam fuisse, & illi, cui  
mori contigerat, nihil aliud quàm mori restasse. Nos sanè alio inge-  
nio præditos esse confitemur, minimeq; è vitâ hac excessisse beatæ  
memoriæ Virginem hancce, miramur. Scimus etenim hanc legem  
ipsi etiam, ut univèrso humano generi, datam, nec magis mirum  
aut novum, mortuam eandem ipsam, quam natam fuisse. Novimus,  
**ELISABETHAM Marquards** / in teatro Vitæ hujus per tre-  
decim annos spectatricem, vel satius actricem, sedisse; & ubi alii  
hocce theatrum ineunt, illam ad mandatum & placitum summi Nu-  
minis exiisse, vitæq; suæ comædiam eleganter ac sanctissimè finiisse:  
Quæ nata erat hic Rostochii die 19. Novembris, A. D. 1641. ipso die  
D. **ELISABETHÆ** sacro; moxq; per lavacrum regenerationis,  
Salvatori mundi, **CHRISTO JESU** incorporata. Cum autem  
vix septem septimanas, in hoc Orbis theatrò, substitisset, derelicta sic  
dispensante Divinâ Providentiâ, ab amantissimo suo Patre in viridi  
ætate sua fata, proh dolor! experto, moxq; à Matre dilectissima pri-  
mo in ædibus Proaviæ, postmodum apud Avum Aviamq; **GUSTRO-**  
**VII**, ad honestam piissimamq; educationem tradita fuit. Ubi ta-  
lis evasit **ELISABETHA** nostra, ut in pectus integritas, cultus  
Divini Numinis, modestia, pudicitia, aliæq; Virtutes hunc sexum &  
hanc ætatem condecorantes, tanquam in Sacrarium quoddam descen-  
dissè viderentur. Pater ejus fuit **Vir Præclarissimus & Consultissi-**  
**mus**



399

mus Dn. LAURENTIUS Marquardt / primum Reverendiss. & Illustriss. Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI, Archiepiscopi Brementis & Holsatiæ Ducis Consiliarius, & in Bohyden Præfectus, post eâ Socerii sui Amplissimi brevi commemorandi, in hac Academia Substitutus, atq; Advocatus fidelissimus. Mater autem fuit, & adhuc DEI gratiâ vivit ELISABETHA Stepsans / quæ trienniô, in ærumnosâ viduitate consumptô, Viro Amplissimo, Excellentissimo, Consul-tissimo Dn. HENRICO Nabnen / J. U. D. Prof. celeberrimo, Con-sistorii Ducalis Assessorii gravissimo, Dn. Collegæ & Amicô honoratissi-mo, conjugalem fidem promiserat, eandemq; ipsi, ad hanc horam integerrime conservat. Avum Paternum habuit, Virum Amplissimum, Consultissimum Dn. JOANNEM Marquardt / Senatorem Gry-phiswaldensem, nec non Advocatum, & in judicio Provinciali Po-meranorum, quod fuit WOLGASTI, Procuratorem prudentissi-mum. Aviam paternam MAGDALENAM Ribowen / Matronam honestate & pietate conspicuam. Proavus ejus erat paternus ex unô latere NICOLAUS Marquardt / Senator Gryphiswaldensis, filius NICOLAI MARQUARDI, Civis Stralsundensis primarii. Proa-via MARGARETHA Horns / ex nobilissimâ der Hornen familiâ progenita. Proavus paternus ab altero latere erat Dn. LAURENTIUS Ribow / Senator Reipubl. Gryphswaldensis spectatissimus. Proavia CATHARINA Suminges / fœmina integerrima. Avus maternus erat piè denatæ, Vir Nobilissimus, Amplissimus, Excellentissimus Dn. LAURENTIUS STEPHANI, Illustrissim. Principum Mecklen-burgensium Consiliarius, Dicasterii Provincialis Vicepræses, Pandect. Profess. in Academia nostra, ut & totius Academiæ Senior, nec non Consistorii Ducalis Assessor. Avia materna Matrona laudatissima AN-NA COTHMANNIA, quæ nuper hancce charissimam neptem, ad cœlestem Vitam præcessit. Proavo materno, ab unâ parte claruit ELISABETHA nostra, JOACHIMO STEPHANI, Phil. & J. U. D. primum Matheseos, post Juris in Acad. Gryphiswald. Prof. Ord. ejusdemq; Syndico; ut & Illustriss. ac Celsiss. Princip. ac Dominorum DN. ERNESTI LUDOWICI, DN. BUGUSLAI, DN. CASIMIRI, DN. PHILIPPI JULII, Ducum Stetini Pomeraniæ &c. à Consiliis inti-mis, Consistorii Ecclesiastici Directore. Quem quanti æstimaverit Acad. Gryphiswaldensis, hisce verbis in funebre Programmate, sole clarius

A 2

decla-



declaravit. *Qui si pietatis ardor, bene meritorum cumulus, ingenii solertia, morumque integritas, quicquam in causa mortalitatis momenti obtinerent, certe immortalitate dignus, omnium quibus candor cordi, albo calculo pronuntiaretur.* Proavia Maternâ non ignobilior fuit BARBARA Ribowen/matronâ præclarissimâ, & eximiarum in texu fœmineo Virtutum: Ab alterâ parte celebris erat Proavo maternô ERNESTO COTHMANNO, Illustriss. Duc. & Princip. Megapolensium Consiliario, Cancellario, Professore hujus Academiæ celeberrimo, Syndico gravissimo, JCo incomparabili, filio illius DIETERICI COTHMANNI, Consulis Civitatis Lemgovviensis gravissimi, & præclarissime de patriâ meriti Cujus immortalis gloriâ dignissima merita, cum Academia redhostire non potuisset, in Programmate Funebris, illa ipsa deprædicavit, & hisce fermè verbis, quanti hoc suum Lumen hoc suum fulcrum ac columen fecerit testatum reliquit. *Si ipsa Academia vel vocem edere, vel calamo affectum suum testari posset, atq; ita Cives suos ad officium vocare, absq; dubio sibi duas res agendas esse videret, merita nimirum hujus Viri exponenda, & magnitudinem sui doloris exprimendam.* Proavia maternâ nobilitata fuit ELISABETHA Heyns/ illius celebratissimi Viri Dn. FRIDERICI Heyns/ JCI & Profess. primùm hujus Universitatis; post Urbis hujus Consulis & Syndici integerrimi, filiâ. Fœminâ magnis Virtutibus exornatâ. Hisce majoribus & parentibus, clarissimis, nobilissimis progenita Virgo hæc castissima, à matre dilectissimâ Avo materno ac Avia, commendata, magno ab ipsis afficiebatur amore, ut in cultu & timore DEI, aliisque Virtutibus egregie instituta; ut quolibet tempore matutino & Vespertino, devotissimas preces ad Deum fundere, psalmos recitare, Scripturam Sacram, & præcipue novi Testamenti aliquot capita devotissime legere, & aliquoties perlegere consuevit; Augebat hunc amorem magna ejus in rebus domesticis, diligentia, fidelitas, ac solertia; summi semper ab Avo & Avia æstimata. Quod corpus concernit, illud semper infirmum ac imbecillum, nec generoso ejus animo correspondens nacta fuerat. Antè dimidium fere annum in infirmitatem singularem prolapsa, missa est ab Avis ad Parentes Rostochium, mense Octobri proximè elapso ut eo melius morbus ibi curari posset. Quis autem ille fuerit, id fusius Vir Excellentissimus Experientissimus Dn. SIMON PAULLI, Med. Doct. S. R. M. Danicæ Norwvegiæ



giæ &c. Medicus aulicus ac Prælatus Aarhufiensis, Amicus noster co-  
lendissimus, in Epistolâ suâ ad Virum Amplissimum, Dn. D. RAH-  
NIUM &c. datâ, descripsit. Quam hic subjicimus

400

*Amplissime, Consultissimeq; Vir, DN. ac Amice  
honoratissime, Collega quondam conjunctissime,*

Scire dum aves Historiam medicam morbi, quo cum  
Sconflictata aliquot menses privigna tua M A R-  
QUARDIA est, dilectissimæ filiæ loco semper à Te  
habita; en meo studiô, Tibi, præsertim studiosè id in  
me requirenti, in præsens deesse non volui nec debui.  
Te autem ipsum, perdocte RHANI, non fugit, quod,  
postquam ex altera meâ, longè mihi gratisimâ, Patriâ  
DANIA, semper quam exoptavi;

*Sit meæ sedes utinam senectæ,*  
ingenti tempestate jactatus, in hoc mihi natale solum,  
quod & me.

— *immemorem non finit esse sui,*  
delatus sum &c. illa ipsa Filiola tua, febriculâ, modò ter-  
tianæ, modò quartanæ, quintanæ deniq; typū præ se fe-  
rente, aut si mavis erraticâ & vagâ, insolitis ipsam comi-  
tantibus symptomatis &c. correpta sit; Quid enim quar-  
tanæ commune cum colli doloribus intensissimis, sub-  
inde incerto tempore recrudescentibus; ita ut ad tactum  
digitorum vel leviculum & mollem, exasperati, cer-  
nuam illam, instar silicernii alicujus aut capularis senis,  
incedere coegerint; auspiciatus autem absit, jactantia, illi  
us febriculæ medelam sum; sed nosti, Te ipso, Matreq;  
charissimâ atq; aliis astantibus arbitris, filiam me sæ-  
picule obtestatum esse, ingenuè fateretur mihi, an for-  
san clam omnibus ex alto decidisset, aut supina prostra-  
ta esset, ex quâ tamen nihil horum expiscari potuimus,

A 3

reniden-



renidente, & suavis vinulis dictis nos ducente, usque  
dum & colli & spinæ dorsi manifestæ, & tantæ luxatio-  
nes insequutæ sunt, ut primulum demissis humeris quasi  
junctæ ad latus inclinantem incedere; (erat enim uni-  
versa spina ad latus quoque mota loco) mox cæspitantem  
pergeres post deinde sensim, motu ac sensu omnes illius ar-  
tus, ita ut neque pes neque manus suum officium facere pos-  
set, privari; ultimò verò & eis pauculos ante obitum di-  
es, quasi intermori omninò eosdem, vivò adhuc cor-  
pere, viderimus; imò & sexcenta alia eheu! ad quæ enar-  
randi hic loci, locus non est; ventriculi, vesicæ &  
alia infimi ventris incommoda, mente interim usque ad  
extremum vitæ halitum constantissimâ & integerrimâ,  
in eâ observaverimus. Vulgus, & ex facie plebis infimâ  
oriundi, creparent, non *Deo* immittam hanc cladem, sed  
conciliatam (malum!) magicis ac pravis artibus. Verum  
apage has affanias (ut Apulei voculam usurpem) quum  
anatomes peritus, ad unam, omnium horum symptomatum  
rationem & causas naturales, ad unquam recensere  
possit. Nec dubito, quum palàm sit, quantum negoti-  
vulgares luxationes, si modo sint bidui aut tridui, in  
corporibus ætate & viribus integris, nobis praxin me-  
dicam exercentibus, facebant, quin quotquot sunt me-  
dicorum, (malevolos & qui salem non habent haut mor-  
ror) has tot non septimanas, verum integros menses,  
præ reverentiâ & observantiâ erga Parentes, (quos inter  
ceum par erat, pronuper fatis & Naturæ cedentem, ma-  
trouarum decus & ornamentum, pientissimam foemi-  
nam Aviam suam C O T H M A N N A M reverita est)  
singulares, raras, & quidem geminas diversis in locis lu-  
xationes, celatas, in scitissimæ ac elegantissimæ hujus  
virgunculæ corpore, sensim emaciato, viribus attritis,  
unò



unò ore, lethales, ob syndromen recensitorum sympto-  
matum, pronuntiare cogantur. At Nos quotquot  
medicinam profitemur, curabilium morborum nos Me-  
dicos profitemur, quibus, ceu venienti malo, tempore es-  
se occurrendum, quotusquisq; est qui non intelligit usq;  
adeò hoc ipso exemplò, nostri Hippocratis, viri in  
omnibus, Galenò teste, admirandi, veridicum effatum  
confirmatur, occasionem medelæ, corporis nostri fluxi  
ac fragilis, aurâ ocyus, ceu oppidò præcipitem quasi  
avolare, affirmantissimè pronunciantis. Verùm quò  
non abripior? Meum potius, est hic loci comprecari ve-  
stræ huic dulcissimæ filix mox efferendo funeri, faci-  
les cineres, & in urnâ, usq; ad novissimum mundi diem,  
perpetuum ver. Te verò Amplissime, Consultissimeq;  
Vir, DN. & Amice honoratissime, unâ cum Coniuge Tuâ  
Dilectissimâ STEPHNIA, salvere ac belle valere æta-  
tè jubeo. Dabam ex hypocausto meo, Rostochi, Anno  
1655. IV. Kal. Martii.

401  
ampliss. Clarit. Tue

Simon Paulli, D. S. R. M. Danix  
Norweg. Sc. Med. anlicus ac  
Pralatus Aarhusiensis.

Antequam mortalitatem suam deponeret; parentum voluntate;  
ejusq; pio placito visitabat ipsam, Vir plurimum Reverendus, Claris-  
simus, Excellentissimus Dn. CASPARUS MAURITIUS, SS. Th.  
D. & Prof. celeberrimus, Superintendens Rostochiensium gravissimus,  
Collega & amicus noster honoratissimus, coram quo hæc sanctissi-  
mè mortua Virgo, tum suam in CHRISTUM fidem, tum peccato-  
rum suorum confessionem, cum lachrymis ex oculis manantibus edi-  
dit; insigniq; intelligentiâ, ac omnibus præsentibus admirandâ, dum  
de quibusdâ ex Decalogo & Catechismò quæreretur, respondit;  
cumq; à Prædicto Dn. Superintendente, & ultimum Vale, & extre-

mam



mam benedictionem percepisset; illaq; sacra verba ipsi inculcasset:  
Befiel dem Herrn/ deine Wege/ und hoff auff Jhn/ Er wirds wol ma-  
chen. Hæc verba religiosissimo sanè animo oreq; bis repetiit. Ja der  
wirds wol machen, Et cum illis semet ad quietem somnumq; noctur-  
num composuit. E quò sequenti summo mane expergefacta devo-  
tissime oravit, & instar sani & vegeti hominis, usq; ad horam secun-  
dam vespertinam, omnibus nil nisi sanitatis restitutionem speranti-  
bus, colloquuta fuit. Sed mōx, de magnâ cordis angustia conquesta,  
totam se in Divinas preces & sermones effudit. Tandem in hæc ver-  
ba ultima erumpens. Nun kan ich nicht mehr sprechen / oculos & os  
è quo nil nisi Divinæ laudes spirabant, occlusit, & in illâ prece,  
ardentissimâ Jesu du Sohn David erbarme dich mein / & Ser-  
monis, & visus, & auditus & intellectus, ac sapientiæ, ad ultimum vitæ  
terminum, compos, horâ tertiâ pomeridianâ, die 21. hujus Mensis  
Feb. placidissime expiravit, animamq; suam sanctissimam, quam ante  
annos tredecim & tres menses à creatore suo, Deoq; omnipotente  
acceperat, eidem cum stupendâ pietate reddidit. Hujus Corporis Exu-  
viæ quandoquidem, omnium nostrum Matri terræ, Hodie circa ho-  
ram primam concredi, honestoq; ac Christiano ritu sepeliri debent.  
Has, ut decentissime ac frequentissime CIVES ACADEMIÆ  
honoratissimi, comitari velitis; amanter oro, & officiosè invito,  
Exhibete, hunc extremum honorem, huic eximiarum Virtutum Vir-  
gini; tantâq; pietate, quantam quilibet sibi jure merito vover, rebus  
his mortalium valedicenti, &, quod non parvum pondus invitationi  
nostræ addere potest, tantis Majoribus, Parentibus, de Republicâ Li-  
terariâ, de sapientiæ, sapientiarumq; Delubris, de inclutissimis Illu-  
strissimorum Principum Romani Imperii Aulis, cum æviterno No-  
mine meritissimis, prognatæ. Tribuitè hoc honoris Defunctæ Dn.  
Patruo, JOHANNI Marquardt/ Consuli Anclamensi. & Consilia-  
rio Provinciali in Pomerania. Ad extremum, ex hac optimâ, Vere-  
cundissimâ, castissimâq; Virgine liberum jam cælum adeptâ, & in illâ  
sempiternâ domo inter beatissimarum mentium concentus trium-  
phante, beatissime mori discite, illud SENECAË Epist. 26. mente  
Christianâ revolventes. *Magna res est hæc, & diu discenda, cum adven-  
tat hora illa inevitabilis, a quo animò abire.* P.P. Sub Sigillo Recto-  
ratus nostri, ROSTOCK die 1. Martij,

A. D. 1655.

Conventus fiet horâ primâ in templo Mariano.

os(o)se



giæ &c. Medicus aulicus ac Prælatus Aarhufienfis  
lendissimus, in Epistolâ suâ ad Virum Amplissimu  
NIUM &c. datâ, descripsit. Quam hic subijci


*Amplissime, Consultissimeq; Vir, D  
honoratissime, Collega quondam conis*

Scire dum aves Historiam medicam  
sconflictata aliquot menses privig  
QUARDIA est, dilectissimæ filiæ le  
habita; en meo studiô, Tibi, præserti  
me requirenti, in præsens deesse non  
Te autem ipsum, perdocte RHANI,  
postquam ex altera meâ, longè mihi g  
DANIA, semper quam exoptavi;

*Sit mea sedes utinam sen  
ingenti tempestate jactatus, in hoc mi  
quod & me*

— *immemorem non finit esse  
delatus sum &c. illa ipsa Filiola tua, fe  
tianæ, modò quartanæ, quintanæ den  
rente, aut si mavis erraticâ & vagâ, in  
tantibus symptomatis &c. correpta fit  
tanæ commune cum colli doloribus  
inde incerto tempore recrudescentibi  
digitorum vel leviculum & mollem  
nuam illam, instar silicernii alicujus a  
incedere coegerint; auspiciatus autem  
us febriculæ medelam sum; sed nosti,  
charissimâ atq; aliis astantibus arbit  
picule obtestatum esse, ingenuè fateri  
san clam omnibus ex alto decidisset,  
ta esset, ex quâ tamen nihil horum e*

A 3



400